

IOANNES BAPTISTA VVEBERVS CAESARIS PRO
cancellarius.



Iohannes Baptista honestis parentibus natus, & à teneris annis in literis institutus fuit. Is quum prima artium & linguarum fundamenta foeliciter in patria iecisset, sese ad Ingolstadiensem celebrem Academiam contulit, atque Philosophiæ & Iurisprudentiæ diligenter incubuit. Itaque factum, ut Legum Doctor omnium applausu crearetur. Erat Iohannes quoque naturali facundia & rara animi prudentia conspicuus. Id cum Bauariæ inclytus dux intellexisset, eum inter consiliarios admisit, atque Landishutæ res magnas suo nomine expedire iussit. In eo loco Iohannes Baptista ob multas corporis & animi uirtutes omnibus innotuit, & suo principi gratissimus fuit. Itaque Ferdinandus Cæsar motus, hunc Iohannem ad suam curiam uocauit, atque cum alijs Vicecancellarium suum constituit. eam functionem is magna animi moderatione suscepit, & res Imperij suę fidei commissas singulari dexteritate perfecit. In hoc genere uite is etiamnum pergit, & ob rerum usum sibi inter doctos magnum nomen comparauit. Anon.